

COMMODIANUS

CARMEN APOLOGETICUM

(1060 vers)

v.1 Quis poterit unum proprie Deum nosse caelorum,
 2 nisi quem is tulerit (...) ab errore nefando ?
 3 Errabam ignarus spatians, spe captus inani,
 4 dum furor aetatis primae me portabat in auras.
 5 Plus eram quam palea levior ; quasi centum inessent
 6 in humeris capita, sic praeceps quocumque ferebar.
 7 Non satis ; his rebus criminosus denique Marsus
 8 paene fui factus herbas incantando malignas.
 9 Sed gratias Domino - nec sufficit vox mea tantum
 10 reddere - qui misero vacillanti tandem adluxit !
 11 Adgressusque fui tradito in codice legis,
 12 quid ibi rescirem ; statim mihi lampada fulsit.
 13 Tunc vero agnovi Deum unum summum in altis,
 14 et ideo tales hortor ab errore recedant.
 15 Quis melior medicus nisi passus vulneris aestus ?
 16 Multi quidem bruti et ignoti, corde sopiti,
 17 nil sibi proponunt cognoscere ; more ferino
 18 quaerunt, quod rapiant aut quorum sanguine vivant.
 19 Dummodo laetentur saginati vivere porci,
 20 ingerunt ut tumulum ferculum, dum divitiis plaudent,
 21 (...) mutabuntur paupera veste fastidiis.
 22 Sufficeret illis utique, quod promptius edunt.
 23 Si pinguis est opibus, sibi sit ; si Caesari dignus,
 24 quid sua praeponit fragilis nec respicit ullum ?
 25 Communicet immo talis bonitatem in omnes,
 26 cui Summus divitias, honores addidit altos.
 27 Nec enim vitupero divitias datas a Summo,
 28 sed culpandus erit, qui superextollitur illis.
 29 Suadeo nunc ergo altos sic et humiles omnes,
 30 ut legant assidue vel ista vel cetera legis.
 31 Aspiciate, quoniam brevis est nobis credita vita ;
 32 discite, quapropter moriamur nati, prudentes !
 33 Quid hebetes morimur, quid profuit lucem vidisse ?
 34 Si nihil inquiras, hoc est beluarum adesse.
 35 Certe Deus summus hominem praeposuit arvis,
 36 non feram nec pecudem. Cur nos similemus ad illas ?
 37 Omnipotens voluit hominem sibi praebere laudes ;
 38 idcirco futura docuit nos ipse divinos.
 39 Quae ut crederemus, non tantum verbo sonavit,
 40 sed et demonstravit fortia Pharaone decepto.
 41 Non solum hoc fecit : et Noe sub tempora quoque
 42 ostendit, quae poterat, quoniam Deum nemo quaerebat.
 43 Mitior exinde paulatim coepit adesse
 44 Diluvio facto, quo posset terra repleti.

45 Jam paene medietas annorum sex milibus ibat,
46 et nemo scibat Dominum, passimque viventes.
47 Sed Deus, ut vidit hominum nimis ut pectora clausa,
48 adloquitur Abraham, quem Moyses enuntiat ipsam.
49 Ipse dedit legem populo Pharaone necato,
50 et quis esset, Dominus ipse se praedixit ab illo.
51 Nec una contentas prophetica voce se promit,
52 sed multos adhibuit testes, qui de illo clamant.
53 Hunc ergo, cum legitis multorum praeconia vatuum,
54 invenietis eum carnem invenisse pro nobis.
55 Unde nunc erratur, ordinasse talia Summum,
56 et quasi subsannant, nec sciunt, quod ab ipso ridentur !
57 Interdum subicio, qualiter praelegi prophetas,
58 et rudes edoceo, ubi sit spes vitae ponenda.
59 Quid Deus in primis vel qualiter singula fecit,
60 jam Moyses edocuit ; nos autem de Christo docemus.
61 Non sum ego vates nec doctor jussus ut essem,
62 sed pando praedicta vatuum oberrantibus austris.
63 Ergo mei similes, quos raptim aura deportat,
64 quaerite jam portum, ubi sunt pericula nulla.
65 Agricola doctus tempestitiva longe dinoscit
66 et, priusquam veniant, recolligit se sub antra.
67 Estote prudentes, quod imminet ante videte
68 et, priusquam veniant clades, providete salutem.
69 Ignavia pueris opus est, non certe robustis :
70 si decet hoc rudibus, non convenit aevo maturis.
71 Quae quidem pars hominum non sit moderata, vetusta
72 sic erit ut perna minime salfacta : putrescat.
73 Nemo petram subicit, nisi solus ignis ad escam :
74 saxei sic homines mollescunt sero gehenna.
75 Clamamus in vacuum surdis referenda procellis
76 et lumen offerimus caecis sine causa praebentes.
77 Stat miles ad missam : unus audit, et excutit alter
78 nec accipit corde monita, sed perditus errat.
79 Quis modo delinquit (iudices estote de istis !),
80 Qui monet aut ille, qui non vult dicto parere !),
81 Spero, reus non est, qui Caesaris dictus obaudit,
82 contrarius autem perdit suam vitam superbus.
83 Interdum quod meum est, qui prius erravi, demonstro
84 rectum iter vobis, qui adhuc erratis inanes.
85 Vos tamen eligite, arbitrio vestro placentes,
86 quis velit venenum aut suavia pocula vitae !
87 Bonum et malum est in ista natura creatum,
88 ut homo post fata probetur quis Deo dignus.
89 Adgredere jam nunc, quisquis es, perennia nosse :
90 disce, Deus qui sit vel cuius nomine adsit !
91 Est Deus omnipotens, unus, a semetipso creatus,
92 quem infra reperies magnum et humilem ipsum.
93 Is erat in verbo positus, sibi solo notatus,
94 qui pater et filius dicitur et spiritus sanctus.
95 Sed ex quo decrevit mundum componere signis,
96 ignem interposuit metuendum angelis ipsis.
97 Quos tamen distribuit minoris potentiae factos,
98 ut regerent caelos et terram et subdita terrae.
99 Hunc ergo nec ipsi nuntii dinoscere possunt,
100 qualis sit aut quantus, nisi quod praecepta sequuntur.

101 Est honor absconsus nobis et angelis ipsis,
102 quod Dei majestas, quid sit, sibi conscia sola est.
103 Relucet immensa super caelos et sine fine ;
104 aureum est totum, quod est quasi flammea virtus.
105 Illic Dei vas est, tantum sine cognita forma,
106 illa sunt secreta solo Deo nota caelorum.
107 Haec gloria Dei est unica super angelos omnes,
108 hoc Deus est lucis aeternae, hoc spiritus aevi.
109 In primitiva sua qualis sit, a nullo videtur,
110 detransfiguratur, sicut vult ostendere sese.
111 Praebet se visibilem angelis juxta formam eorum
112 et homini fit homo, ceterum Deus verbo probatur.
113 Idcirco nec poterit tanti Dei forma dinosci ;
114 quidquid est, unum est, immenso lumine solus ;
115 ubi facies, oculi aut os aut membra notantur,
116 inde pugillo suo concludere circulum orbis.
117 At tamen cum voluit sciri de se ipso qui esset,
118 numine de tanto fecit se videri capacem.
119 Sunt quibus in ignem apparuit voce locutus ;
120 sumptus est in carnem, quem regio nulla capebat.
121 Hic Deus omnipotens, Dominus suae conditionis,
122 cum sit invisibilis, facit se videri quibusdam.
123 Qui formatur modo, modo se diffundit in auras,
124 cujus nec initium nec finem quaerere fas est.
125 Hic sine initio semper est Deus et sine fine,
126 qui, prius quam faceret caelum, ferebatur in aevum ;
127 quicquid tenet caelum, prospicit ubique de caelo
128 et penetrat totum oculis et auribus audit.
129 Huic ergo placuit carnalem mundi tenorem,
130 ut exaltaretur sola sempiterna majestas.
131 Nam, quod erat ante, referre nunc ardua res est ;
132 sit licet descriptum, non sit nobis cura de illis.
133 Cum haec, quae videmus, non possumus tangere tota,
134 quis poterit scire, quid sit trans Oceani finem ?
135 Et caelum videmus, sed illic quid intus agatur,
136 nullo datur scire, donec fiat exitus aevi.
137 Sufficiat tantum de futuro nosse promissa ;
138 ad illa tendamus cupidi, tota mente devoti.
139 Sicut avis Phoenix meditatur a morte renasci,
140 dat nobis exemplum, post funera surgere posse ;
141 hoc Deus omnipotens vel maxime credere suadet,
142 quod veniet tempus defunctorum vivere rursus ;
143 sit licet nunc pulvis, jaceant licet ossa nudata,
144 integratur homo, ut fuerat qui mortuus, olim,
145 et gratia major tunc erit quam istius aevi,
146 non dolor nec lacrimae tunc erunt in corpore nostro,
147 non caro recipiet ferrum, non pustula surget.
148 Hoc Deus instituet, at sit illi gloria major.
149 Hic fecerat primum hominem, ut esset aeternus,
150 sed ruit in mortem neglectis ille praeceptis.
151 Propter quae storias tantas Deus esse paravit,
152 ut inventiones diabuli detergeret omnes.
153 Rectorem in terra dederat Deus angelum istum :
154 qui, dum invidetur homini, perit ipse priorque.
155 Interea justos per ipsos cernit ad actus,
156 et facinorosum Cain in gehenna reservat.

157 In scelere coepit versari gens omnis humana,
 158 nec respicientes, quis esset creator eorum.
 159 Quod Deus excelsus indigne pertulit illud,
 160 delere proposuit universa paene creata.
 161 Dicitur et legitur Noe liberatus ab aqua,
 162 ceteri diluvio perierunt ira caelesti.
 163 Hinc, sicut initio, paulatim terra repletur.
 164 Cessit prius facinus, sed alter a clades adhaesit.
 165 Adgressi sunt stulti turrem fabricare sub astris,
 166 ut quasi per illam possent ascendere caelos.
 167 Quod Deus ut vidit fieri sub una loquella,
 168 descendit et fecit loquerentur lingua diversa.
 169 Quos inde dispersit per insulas terrae semotos,
 170 ut fierent gentes vario sermone loquentes.
 171 Tunc genus indocile vitam feritatis agebat ;
 172 nemo Deum sciebat, disputabat nemo de vita.
 173 Inrepserat quoniam rudibus temerarius ille
 174 per latices animae, depravavit mentes acerbas
 175 persuasitque dolo coitus infandos amare,
 176 vivere rapinis in gaudio sanguine fuso.
 177 Hanc gloriam stulti prosequuntur tempore parvo ;
 178 quo nulla venia liberat, se dicendo seductos.
 179 Si suadet adulter, culpa est tua prosequi talem ;
 180 non ille te damnat, sed tu tua sponte te damnas.
 181 Errabant indocti veteris fallacia hostis,
 182 obliti Dominum, opera maligna sequentes.
 183 Quod diu ve fieret grassatio tanta latronis,
 184 tempore partito miseratus est tandem ablato.
 185 Complacuit illi colloqui cum uno de multis,
 186 ut faceret populum ad se transeundo dilectum.
 187 Ex eo coeperunt unum Deum nosse profani
 188 et fieri populus secundum Dei decreta.
 189 Duos enim populos distinxerat ex se Rebecca :
 190 hic prior est factus, alter ut succederet illi.
 191 In Aegypto primum Israhel concrevit alumnus ;
 192 inde Deus illos ejecit duce Moyse,
 193 per quem dedit illis legem in monte Sina,
 194 ut nostra posteritas Dominum cognosceret unum.
 195 Deinde prophetas ex ipsis dicere jussit,
 196 quod Deus in hominem depretiatur ab illis.
 197 Induxerat eos Dominus in terra promissa,
 198 ut ibi sub lege viverent, donec ipse veniret.
 199 Gens ingrata bonis noluit jugum ferre praeceptis,
 200 sed magis in scelere prisco revoluta florebat ;
 201 nec umquam desinuit : hodie quoque talis habetur ;
 202 Praetermisso Deo luxurias saeculi mavult.
 203 Quod maxime Dominos cogit evitare dilectos ;
 204 abscisos in totum a saeculo praemonet esse.
 205 "Si filios dixit, in illius sancta moremur ;
 206 quid foris egredimur adulteri pompam sequentes ? "
 207 Seductor antiquus per talia decipit omnes :
 208 immittit luxurias, per quas perdat filios Alti ;
 209 agonia immittit, spectaculis ire cruentis
 210 aut nimis obscaenis, inpudica nosse pudicis.
 211 Si fuerat castus, incestus proficit inde
 212 et placent adrident, quae tunc mala gaudia temptant.

213 In istis luxuriis populus primitivus agebat
 214 et a lege Dei semper recedebat inormis.
 215 Ad quos emundandos saepe Deus misit alumnos,
 216 ut illos corrigerent depravatos denuo Summo.
 217 Excipere numquam volverunt dicta divina,
 218 sed voluntate sua saevierunt semper inepti.
 219 Mactabant justos redarguentes illos inique,
 220 dum nollent accipere frenum disciplinae caelestis.
 221 Esaïam serrant, lapidant Jeremiam erecti,
 222 Johannem decollant, jugulant Zachariam ad aras.
 223 Et venit et ipse, fuerat qui praedictus ab illis,
 224 et patitur, quomodo noluit, sub imagine nostra.
 225 Cujus in exitio omnis prophetia repleta est,
 226 dixerat hunc Daniel novissimum esse prophetis.
 227 Is erat, quem propter vates de tuba canebant,
 228 in sua venturum propria, quem sui negarent.
 229 Improvidi semper et dura cervice recalces,
 230 dum respuunt formam, sacramenta legis amittunt.
 231 Non illos justitia humilis caro nata refregit,
 232 nec bonitas tanta aut aegrorum cura de verbo.
 233 Pia religio, o tam veneranda majestas,
 234 cujus medicina taliter in terra profecit !
 235 Non ullum de ferro secuit, non emplastro curavit,
 236 sed sine tormento statim suo dicto sanavit.
 237 Talia videntes turbabantur mente Judaei,
 238 qui magis invidia ducti sunt in zelo livoris,
 239 non respicientes prophetarum dicta sepulti,
 240 quod veniret homo talis, qui dispergeret illos.
 241 Quousque veniret Dominus, prophetae canebant ;
 242 ex eo, quo venit, tacuit prophetia Judaeis.
 243 Post quem in exilium devenerunt corde durato
 244 nec modo dinoscunt, quapropter sint talia passi.
 245 Praedictum fuerat illis ab Esaïa propheta
 246 et a Daniëlo similiter perdere terram ;
 247 quae non ante tamen, nisi dux civitatis in ipsa
 248 penderet in ligno, fieret deserta deinde.
 249 Desubito qualis obfulsit gloria genti,
 250 ut fieret populus, populus qui non erat ante !
 251 Non fuit adtonitus Esau, dilectus a patre,
 252 junior quod frater primitiva tolleret ille ?
 253 Sic nec synagoga potuit cognoscere tempus,
 254 quando et quo duce caderet de suo privato ;
 255 sicut erat scriptum, quod avis sua tempora norunt,
 256 nam populus iste non me intellexit adesse.
 257 Ventum est, ut ipse dominator caeli veniret :
 258 secundum scripturas non est computatus ab ipsis.
 259 Praescius hoc fuerat Dominus, quasi cuncta qui novit ;
 260 idcirco per ora prophetarum ista praedixit.
 261 Gens cervicosa nimis semperque rebellans
 262 dum sibi primatum vindicaret, causa resecta est.
 263 In quorum stadia gentiles esse praefecit ;
 264 dixerat hoc ante : "Gentes sperabunt in ipsum.
 265 Nam lapis inmissus ipse est in fundamina Sion,
 266 crederet in quo qui, is haberet vitam aeternam.
 267 Hunc sanctum sanctorum Daniel perungui designat
 268 et exterminari post illum chrisma regale.

269 David illum dixit clavis configi silentem :
 270 "Effoderunt, inquit, manus meas et pedes ipsi."
 271 Salomon quoque tam aperte de illo prophetat,
 272 "Occidamus justum ! " Dicturos esse Judaeos.
 273 Hieremias totidem crucem figurate demonstrat :
 274 "Venite, mittamus lignum in pane !" dicentes.
 275 Dux autem ipsorum Moyses praeconiat illis :
 276 "Ante tuos oculos pendebit vita necata."
 277 Hic pater in filio venit, Deus unus ubique :
 278 nec pater est dictus, nisi factus filius esset.
 279 Nec enim relinquit caelum, ut in terra pareret,
 280 sed, sicut disposuit, visa est in terra majestas ;
 281 De virtute sua carnaliter nasci se fecit
 282 (lacune)
 283 (.....)licet facere fimbriam unam.
 284 Jam caro Deus erat, in qua Dei virtus agebat.
 285 Quid, quod prophetae canunt, invisibilem esse videndum,
 286 ut claritas tanta fieret homo quoque pro nobis.
 287 Nec populus noster prosilisset in nova lege,
 288 si non Omnipotens ordinasset ante de nobis.
 289 Hic erat Omnipotens, cujus in nomine gentes
 290 crederent omnino, quod propheta dixit Esaias :
 291 "Exsurget in Israel homo de radice Iesse,
 292 in illum sperabunt gentes, cujus signo tuentur."
 293 Et alter dixit testem illum esse per orbem,
 294 manifestari eum principem nationibus ipsum.
 295 In psalmis canitur : "Dominus regnavit a ligno ;
 296 exsultet terra, jocudentur insulae multae."
 297 Sic et patriarchae Jacob benedictio vera
 298 paruit in gentes : "Hic erit spes gentium, inquit.
 299 Sub caelo non aliud nomen est nisi Christi praelatum,
 300 in cujus nomine crediderunt gentes ubique."
 301 Non ita suademur credere pro tempore clauso,
 302 sed propter futurum tempus, in aeterno viventes.
 303 Haec speranda nobis spes est, sempiterno frunisci,
 304 non ista, quae fragilis cito mutat gaudia nostra.
 305 Sint licet divitiae prae oculis laute fruendae,
 306 excluderis illis substituta morte caduca ;
 307 aut si perseveraveris, horrescis ipse vivendo,
 308 aut si valetudo fuerit mala, quo tibi vita ?
 309 Tormentum est totum, quod vivimus isto sub aevo ;
 310 hinc adeo nobis est spes in futuro quaerenda :
 311 hoc Deus hortatur, hoc lex, hoc passio Christi,
 312 ut resurrecturos nos credamus in novo saeclo.
 313 Sic Dei lex clamat : fieret cum humilis Altus,
 314 cederet infernus, ut Adam levaretur a morte,
 315 descendit in tumulum Dominus suae plasmae misertus
 316 et sic per occulta inanivit fortia mortis.
 317 Obrepsit Dominus veteri latroni celatus
 318 et pati se voluit, quo magis prosterneret ipsum.
 319 Ille quidem audax et semper saevus ut hostis,
 320 dum sperat in hominem saevire, victus a Summo est.
 321 Per quod prius hominem prostraverat morti malignus,
 322 ex ipso devictus ; unde nobis vita provenit.
 323 Adam degustato pomo mori jussus obivit ;
 324 cujus de peccato morimur sic et omnis itemque.

325 Sed iterum dixit Dominus : "De ligno vitali
326 si sumpserit ille, in aeternum vivat honestus."
327 Mors in ligno fuit et ligno vita latebat,
328 quo Deus pependit Dominus, vitae nostrae repertor.
329 Hoc lignum vitae Dominus praedixerat esse,
330 ut, qui credit ei, sic sit quasi sumat abinde.
331 Et sumit et gustat suaviter Dei summi praecepta
332 et discedit, quoniam potior resurgit, a morte.
333 Qui credit in Christo, de ligno vitae degustat,
334 quo fuit suspensus Dominus, a Moyse praedicto.
335 Hunc ipsum Esaias humilem denuntiat esse
336 et nimis dejectum, fuerit quasi servi figura :
337 et vidimus illum, nec erat praeclarae figurae,
338 in plaga depositus homo, sciens omnia ferre.
339 Hic dolet pro nobis et peccata nostra reportat,
340 et pro facinore nostro Deus tradidit illum.
341 Qui, cum vexaretur, tacuit sicut agnus ad aras.
342 Hic homo jam non erat, sed erat Deus caro pro nobis
343 quo palam apparet hoc erat Dei nomen oriri,
344 quod modo praeclarum nomen apud gentes habetur.
345 Hoc Malachiel canit propheta, qui et angelus ipse,
346 cum et Judaeorum reprobet sacrificia dicens :
347 "Non erit acceptum mihi sacrificium vestrum,
348 sed in omni loco offerunt meo nomini gentes,
349 apud quos eximium nomen meum magnificatur,
350 qui sine cruore offerunt meo nomini munde.
351 Nam fuit is ipse humilis, latens nomine magno,
352 qui de semet ipso per ora prophetica clamat :
353 "Contumax non sum, ait, neque contradico nocenti,
354 dorsum quoque meum posui ad flagella caedendum
355 maxillasque meas palmis feriendas iniquis
356 praebui nec faciem averti sputis eorum.
357 Stultitia subiit multis, Deum talia passum,
358 ut enuntietur crucifixus conditor orbis."
359 Sic illi complacuit consilium neminis uso -
360 nec alius poterat - taliter venire pro nobis.
361 Mortem adinvenit, cum esset invidus, hostis,
362 quam ebibit Dominus passus, ex inferno resurgens.
363 Idcirco nec voluit se manifestare, quid esset,
364 sed filium dixit se missum fuisse a patre.
365 Sic ipse tradiderat semet ipsum dici prophetis,
366 ut Deus in terris Altissimi filius esset.
367 Hoc et ipse fremit, humilis in carne cum esset,
368 testaturque patrem, ut ora prophetica firmet.
369 Ex Israel legimus hominem resurgere talem ;
370 et homo est, inquit, et quis eum novit in ipsis ?
371 Hieremias ait : "Hic Deus est noster aequalis,
372 post haec et in terris nisus est conversatus humanis."
373 Esaias autem : "Tu es Deus, et nesciebamus :
374 et Deus in te est, et praeter te non alter habetur.
375 Et quis in occasum prophetarum lege veniret ?
376 Cantate Domino, nomen est Deus illi, qui venit ! "
377 Et psalmus de ipso quartus quadragesimus inquit :
378 "Exaltabor ego in gentibus nomine magno."
379 Et alibi legimus : "Hodie te genui, fili ;
380 pete, et dabo tibi, et habebis gentes heredes."

381 Certe jam apparet, qui sit Deus et quis in ipso,
382 et cujus in nomine crederemus gentes ubique :
383 dictum est Christo meo, teneo cujus dexteram, illud :
384 exaudiant gentes, et imperet gentibus ipse.
385 Quid plurimis opus est, cum res tam aperte probatur,
386 cum is, qui taxatur, populus jam in illo laetatur ?
387 Illi autem miseri, qui fabulas vanas adornant
388 et magum infamant, canentibus rostra elusissent,
389 quales eos dicam ? Antequam dispersi fuissent ;
390 quos nec exsulatus fregit nec servitus ipsa.
391 Si magus adfuerat, cur ergo prophetae canebant
392 venturum e caelo, ut esset spes gentium ipse ?
393 Si false de ipsis pronuntiant perdere terram,
394 quod provenit de eis, sic erint et falsa de illo.
395 Sed quia sunt semper sprete, quod cruenti fuerunt,
396 contra suum Dominum rebellant dicere magum.
397 Nec nolunt audire, quae dixerunt vates in illos,
398 quod non intellexerent in totum fine sub ipsa.
399 Ipse Deus illos descripsit : "Pectore clauso
400 nec videant oculis nec intellegant corde durato ;
401 incrassavit enim cor populi hujus iniqui,
402 ut nihil agnoscant, donec meo verbo sanescant."
403 Praedictus est Deus carnaliter nasci pro nobis,
404 ut fieret illis merito cruciatio major :
405 ecce dabit Deus ipse vobis signum ab alto :
406 concipiet virgo et pariet terra caelestem ;
407 Emmanuel autem vocetur, jusserat illos ;
408 quod lingua Latina "Deus nobiscum" evoluit.
409 "Audite, quod ipse nutriretur melle, butyro,
410 et Samariam caperet, verbum priusquam loqueretur."
411 Sed haec est historia clausa, de qua docti revolvunt,
412 ut parvulus lactans sine pugna praedas iniret ;
413 Passio cujus praedicta est taliter ante,
414 ut Deus passibilis fieret profuso cruore.
415 Esaias ait : "Tamquam ovis ductus ad aram,
416 nec voce clamavit, patienter omnia gessit."
417 Suffigitur clavis, quod David praedixerat olim ;
418 quem et potaverunt secundum scripturas acetum.
419 "Et in vestimentis meis, dixit, sortemque miserunt,
420 quod factum, et legimus in illo omnia gesta."
421 Fuerunt et tenebrae factae tribus horis a sexta
422 festinavitque dies inducere sidera noctis.
423 Praedictum hoc fuerat fieri per prophetam Amos,
424 ut tegeter subito sese per sollemnia sancta.
425 "Mala progenies, (...) Subdola fronte !
426 Generavi suboles, dixit Deus, qui me negarent.
427 Et dixit : "Audite vocem tubae". - "Nolumus", aiunt.
428 Hoc dicit Ezechiel : "Audient ergo gentes a longe".
429 Uno volo titulo tangere librum Deuteronomum :
430 "In caput eritis, gentes ; nam increduli retro".
431 Si respuunt certe omnia supra dicta rebelles,
432 scite quid opponunt, cum res tam aperte dicatur ?
433 Videte jam ergo, dubii qui nunc usque natatis,
434 quod gentes in Domini fuerint scriptura priores.
435 Nunc ergo fas est credere, quem libri designant,
436 non idolis vanis, qui frustra pro vita coluntur,

437 nec istis adjungi voluptuosis et sine freno,
 438 qui magis luxurias diligunt quam Summi praecepta.
 439 Non est culpa satis una, qui credere nolunt,
 440 sed magis infamant : "In puteum misimus illum".
 441 Quapropter et Dominus indignatus jurigat illos :
 442 "Propter vos nomen meum blasphematur in gentibus", inquit.
 443 Si missus in puteum, sed resurgere quare clamatur ?
 444 "Ab inferis, Domine, animam meam inposuisti :
 445 ego dormivi, ait, et somnum cepi securus ;
 446 auxilio Domini surrexi, nihil mali passus."
 447 Et iterum dicit : "In infernum non derelinques
 448 nec dabis sanctum tuum interitum quoque videre."
 449 Hic personans ait : "Fili prophetae, ascendo,
 450 ut Dominum dicam passum per miseriam summum."
 451 Et in libro psalmodum de Domini morte clamatur,
 452 non ut illi putant David de ipso referre.
 453 Aut si putant illud, congruunt universa, quae dixit ?
 454 Non est flagellatus David nec cruce levatus.
 455 Quid ? Vaticinantur Judaei more Saturni ?
 456 In fabulas coeunt, cum jam declinetur in illos ?
 457 Non quasi maleficum alapantur cruce levatum.
 458 Insciis, indoctis, ignorantibus talia fingunt.
 459 "Quis Deus est ille, quem nos cruce fiximus ? " aiunt
 460 nolentes respicere scripturas, corde caecati.
 461 Ecce canit alius repetens iterumque propheta,
 462 cujus voce tamen titulatur talis edictus :
 463 "Nunc exurgam, ait Dominus, nunc clarificabor,
 464 nunc exaltabor, humilem quem ante vidistis ;
 465 nunc intellegitis, nunc erit confusio vestra :
 466 vana cogitatis, ideo vos ignis habebit."
 467 Haec Esaias ait. Tunc sic et ipsa majestas,
 468 cum esset in carne, profitetur ipse quis esset :
 469 "Nemo meam animam poterit auferre conatus,
 470 sed ego sponte a me pono eam meo decreto.
 471 Ipse potestatem habeo de illa ponendi
 472 et sumendi iterum habeo potestatem in illam."
 473 Apertius autem de justis morte clamatur,
 474 ut pareat magis induratos esse Judaeos :
 475 "Ecce perit justus, nec quidem intellegit ullus ;
 476 sed erit in pacem hujus sepultura dilecti".
 477 Quid illi infamant in puteum esse demissum,
 478 cum legimus illum sepulturae traditum esse ?
 479 Ignominiosi, crudeles, caeci, superbi,
 480 qui magis de facto deberent lugere, plaudent !
 481 Inspiratus enim Salomon de ipso prophetat
 482 et magis insequitur plenius ostendere justum :
 483 "Circumveniamus justum, si qui nobis gravis esse videtur,
 484 qui nostris operibus contrarius valde resistit ;
 485 exprobrat in totum nihil nostra lege teneri,
 486 adhuc et adfirmat filium Altissimi esse.
 487 Omnimodo reprobatur et nugaces aestimat esse,
 488 abstinet et sese a nobis et in altera vadit ;
 489 nos immundos, ait, et innovat altera justa,
 490 et sibi laetatur Dominum patrem esse caelorum.
 491 Ergo, si sermones illius sunt veri, probemus ;
 492 temptemus hunc Deum videntes, quid fit in illum ;

493 interrogemus eum omni cum tormento quietum,
 494 condemnemus eum turpissima morte" dicentes,
 495 haec cum fecissent, capita suspensa movebant :
 496 "Salvum illum faciat pater, aut descendat abinde !
 497 Ut eos caecos Salomon ostendat aperte,
 498 sic, quasi nunc referat, et fecisse talia culpat :
 499 dum ista cogitant, ducti sunt in errore nefando ;
 500 excaecavit illos malitia sua saevire.
 501 Ecce quia caeci ipsi sunt et alteros aiunt,
 502 dixit illis Salomon : "Nescierunt Dei secreta".
 503 Quaecumque dixerunt testes universi priores,
 504 in Christo fuerunt facta. Aut in altero dicant ?
 505 Quod ipsum si cupiunt facere frustrantes in ore,
 506 ipsi se subsannent, videant cum impletum in illo.
 507 Quis fuit is justus, de quo prophetae canebant,
 508 cum nemo sit justus in terris, nisi e caelo venisset ?
 509 David enim princeps peccavit amando puellam,
 510 peccavit et Salomon ; et tamen paenituit illos.
 511 Cum isti tam clari et insigni reges eorum
 512 non fuerunt justi, sed ipsi de justo canebant,
 513 nec quidem Esaias vates de se talia dixit,
 514 qui fuit ab rege Manasse de serra secatus.
 515 Alter lapidatus, alter est mactatus ad aras,
 516 alterum Herodes jussit decollari reclusum.
 517 Omnes isti vates alia sunt morte perempti,
 518 quod Dominus ligno pependit, voce Moysi :
 519 "Non quasi homo Deus suspenditur", intimat ante ;
 520 "Aut non ceu filius hominis minas patitur", inquit.
 521 Sic Dominus ipse cum venisset, ista secutus :
 522 "Oportet me, inquit, reprobari voce Moysi".
 523 At ego non tota, sed summa fastigia carpo,
 524 quo possint facilius ignorantes discere vera.
 525 Hi autem iniqui, qui subdole vivere quaerunt,
 526 jam semel cruenti perseverant fingere vana.
 527 Infatuant stultos magis evanescere dictis,
 528 quod crucifixus sit, cum sic oporteret eumdem.
 529 Sic enim disposuit propter primitivi ruinam ;
 530 non solum pro illo, et pro nobis venit e caelo.
 531 Constituit populum novum suo nomine firmam,
 532 juxta prophetias complevit omnia Christus.
 533 Ecce nova facio, Esaias clamat in ipso,
 534 et nemo priora reputet nec antiqua sequatur.
 535 Haec nova sunt hodie sub nostra lege profecta,
 536 quod gentes in Christo credidimus dicto Moysi.
 537 Ille duos populos praedixerat esse futuros,
 538 et quidem minorem populum praecellere dixit.
 539 Sed isti nequitiae pleni jam desperato furore :
 540 "Lex nobis est data, dicunt, vos unde venistis ? "
 541 Si nobis obsistunt, putant et resistere Summo,
 542 qui voluit nobis bonus esse (....) ?
 543 Nec illud respiciunt cervicosi, setis erectis,
 544 quod semper innocuos cruciarunt lege vitata.
 545 Sic Deo fecerunt, quod erant consueti, crudeles,
 546 et filios sese audent adhuc dicere Summi.
 547 Jam qualiter iterum resurrexit, supra notavi
 548 non de voce mea, sed dicta prophetica dixi.

549 Praedixerat autem discipulis cuncta de sese,
550 qualiter a populo pateretur Petro negante ;
551 et quia de tumulis resurgeret tertio die,
552 dixerat et ipsud, et complevit omnia dicta.
553 At ubi surrexit, venit ad apostolos ipse
554 et stetit illis in medio : "Pax nobis", inquit
555 inter quos discipulos non adfuit unus orantes ;
556 cui cum referrent, discredere coepit et addit :
557 "Si prius non digitum misero, ubi clavi fuerunt
558 aut ubi percussus de lancea, non ego credo."
559 Tunc die Dominica rursus remeavit ad illos
560 et stetit illis in medio : "Pax vobis", inquit.
561 Et statim adgreditur Thomam incredulum illum :
562 "Accede propius et contange corpus ut ante.
563 Non ego sum umbra, mortuorum qualis habetur :
564 vestigium umbra non facit ; considera vulnus."
565 Extendit palmas ; at ille tangere coepit
566 et manum in latere, fuerat quo lancea fixa,
567 misit et exinde prostravit se precando :
568 "Tu Deus et Dominus vere meus ! " Contra quem ille :
569 "Haec quia vidisti, credidisti, sed illi felices
570 posteri, qui credunt audito nomine tantum."
571 Quadraginta dies cum illis ex ordine fecit,
572 edocuit illis multa, quae saeclo venirent.
573 Post cujus ascensum miracula multa fecerunt,
574 de verbo curabant infirmos in nomine Christi.
575 Qui si talis erat, qualem isti perfidi dicunt,
576 fortia non fierent testium de verbo per illum.
577 Ascendit in caelos, sicut et scriptura canebat :
578 "Excipite regem, principes, caelorum in altis !
579 Quid amplius opus est recitare cuncta de lege ?
580 Sufficiunt ista rudibus, bono corde tuenda.
581 Quod si nec ipsi volunt scire Deum ista legendo,
582 ipsi sibi reputent, quo venerint, illo quo nolunt.
583 Vergilius legitur, Cicero aut Terentius item ;
584 nil nisi cor faciunt, ceterum de vita siletur.
585 Quid juvat in vano saecularia prosequi terris,
586 et scire de vitiis regum, de bellis eorum ?
587 Insanumque forum cognoscere jure peritum,
588 quod jura vacillant, praemio ni forte regantur ?
589 Sit licet defensor, sit licet divinus orator,
590 nil morte proficiet, si vivus in Christo negavit.
591 Immo prius quaerat, ubi sit sua vita redacta !
592 Sic fuerit sapiens, si ceterum vituperatur.
593 Illi legunt jura et discunt proloquia mira,
594 sed superant miseros, pro quibus loquuntur, agendo.
595 Infelix est ille, qui venerit illis in ore ;
596 illi ferunt laudes et ille victoriam damnis.
597 Stat miser in medio mutus, cui plus dolet intus ;
598 illi tonant ore et ille silentio nummis.
599 Obstrepit interea vox adornata diurnum,
600 et saepe fit causa melior mala pluscula dando.
601 Hinc pretium quaerit sapiens, hinc vincere gaudet,
602 etsi prave gerat, dum sit modo victor, aegrotat.
603 Nil sua de causa tractat, cum lucra conatur ;
604 Spem subit alterius et suam posterga remittit.

605 Multi de successu rapiuntur saeculi silva ;
 606 dum gaudent in brevia, remanent a gratia Christi ;
 607 dum cupiunt multa oculo, dum augere quaerunt,
 608 nec Deus est illis aliquid nisi saeculi vita.
 609 Pro ventre satagitur, agon est pro ipso diurnum,
 610 et verum agonem spernunt pro aeterna salute.
 611 Quisque quasi vigilat sacco, laudatur acutus ;
 612 Nam qui Deum sequitur, copria iudicatur ab ipsis.
 613 O nimium felix, saecularia si quis evitet !
 614 Sit stultus aliis, sapiens dum sit Deo summo.
 615 Ipsa spes tota, Deo credere, qui ligno pependit ;
 616 foeda licet res est, sed utilis vitae futurae.
 617 Nam populus ille primitivus illo deceptus,
 618 quod filium dixit, cum sit Deus pristinus ipse.
 619 Hic praeibat eos in columna nubis et ignis,
 620 quando de Aegypto liberavit illos ad unum.
 621 Hic crudele nefas imperat de unico nato,
 622 ut probaret Abraham, cui dixit : "Parce !" De caelo
 623 Angelus. Et Deus est, hominem totidemque se fecit,
 624 et quidquid voluerit, faciet : ut muta loquantur.
 625 Balaam sedenti asinam suam colloqui fecit
 626 et canem, ut Simoni diceret : "Clamaris a Petro !"
 627 Paulo praedicanti dicerent ut multi de illo,
 628 leonem populo fecit loqui voce divina.
 629 Deinde, quod ipsa non patitur nostra natura,
 630 infantem fecit quinto mense proloqui vulgo.
 631 "Hic erat venturus commixtus sanguine nostro,
 632 ut videretur homo, sed Deus in carne latebat
 633 non senior veniet nec angelus", dixit Esaias,
 634 sed Dominus ipse veniet se ostendere nobis.
 635 Hunc mare pertimuit, hunc venti, hunc tartarus ipse ;
 636 agnovit Dominum omnis creatura latentem.
 637 Solus nequam populus centriam erexit ad illum :
 638 "Absit, ut sic Dominus venerit in tali figura ! "
 639 Hic, sicut in terra, super fluctus maris inibat
 640 et ventis imperat, placidum ut redderet aequor.
 641 Hic legem tartaream derupit verbo praesenti
 642 et levat de tumulis Lazarum die quarta foetentem.
 643 Nam qui ferebatur, cum fuisset obvius illi :
 644 "Surge, inquit, juvenis ! " Et resurrexit ille de ferclo.
 645 Archisynagogi filiam deprecatus a patre
 646 jam exanimatam plangentibus suscitavit illam.
 647 Mutum loqui fecit et surdum audire praesertim
 648 et caecum ex utero natum, ut videret in auras.
 649 Post XXX VIII paralyticum surgere iussit,
 650 quem admirarentur grabatum in collo ferentem.
 651 (Lacune)
 652 cujus vestimento tacto profluvio sanata est.
 653 Quinque panes fregit hominum in milia quinque
 654 et quattuor milia iterum de septem refecit.
 655 Plenius ut sese Dominus demonstraret adesse,
 656 commutavit aquas, fierent ut optima vina.
 657 In nuptias fuerat invitatus matre cum ipsa ;
 658 quod fuit rogatus, subveniret vino defecto,
 659 tunc iussit implere hydrias velocius aqua,
 660 quod prius gustavit et sic ministrari praecepit.

661 Nec sic potuerunt Dominum cognoscere factis,
662 sed insanierunt, quasi nequam perdere morti.
663 Quod ipsum concedit, quoniam sic pati decrevit ;
664 si tamen crediderint, veniam tunc demum habebunt.
665 Hic est primogenitus per prophetas ante praedictus,
666 ut vocitaretur in terris Altissimi proles,
667 felices, hominum spem suam in isto qui ponunt,
668 nam insipientes tamquam maledictum evitant.
669 Aeternitas illi praeparatur, Christo qui credit,
670 ut socius Dei sit homo post funera vivens.
671 Lex et prophetae docent, qui sunt Dei digni caelorum
672 et quibus absconsa revelantur aurea saecula.
673 Fer tot vates numero de filio Dei clamatur,
674 et eluserunt oculos filii Dei primi vocati ;
675 qui scelere facto non sunt recordati legendo,
676 sed perseveranter : "Nos sumus electi ! " Dicentes.
677 Adhuc infatuant profanos balneis ire,
678 quos faciunt mundos ipsi Deo summo placere.
679 Aqua lavat sordes, non intima cordis iniqua,
680 nec sacra sacrilega potuerunt lavare curata.
681 Non ita praecepit Dominus, sacra ferre malignis ;
682 et locutus iterum, ab idolis mundos haberi :
683 "Nemo sibi faciat simulacrum daemonis", inquit ;
684 nam dixit et illis : "Idolis servire nolite.
685 Si Deus praecepit ab idolis valde caveri,
686 quid illi decipiunt gentes puros esse lavacris ? "
687 Immo cum recipiunt tales, docere deberent
688 servire non aliis, nisi tantum Summo placere.
689 Dum facinus quaerunt obumbrare Christi de morte,
690 aperiunt valvas passim, ut intretur ad illos.
691 Hinc ergo depereunt, qui se putant puros ab aqua
692 posse Dei fieri, conscientes ante latroni.
693 Nunc colit in vano quodlibet, nunc sancta requirit,
694 nescit ubi primum occurrat inscius ille,
695 ac idolis servit, iterum tricesima quaerit ;
696 nunc azyma sequitur, qui castum sederat ante.
697 Hoc Deo non placuit participes daemonum esse,
698 qui legem instituit, fieret quo transitus inde.
699 Sunt tibi propositae duae viae : elige quam vis,
700 nec enim te findes, ut possis ire per ambas ;
701 sed tamen ex ipsis opportunam quaerere debes ;
702 ne cadas in fauces latronum, cautior esto.
703 Unum quaere Deum, qui quaerit hostiam nullam,
704 ut possis abolitus resurgere saeculo novato.
705 Quid malos attendis et iudicas sanctos iniquos,
706 qui tibi nullum verbum de lege demonstrant ?
707 De virtute Dei refertur, quam fecit in illos ;
708 nam de se sua facta scelerata dicere nolunt,
709 semper homicidae semper manibusque cruentis,
710 quos Dominus numquam potuit domare monendo.
711 Suffecerat illis per ignaviam tanta fecisse
712 et dicere : Scriptum sic erat, modo credere fas est.
713 Sed Dominus ipse obscuravit sensus eorum,
714 induravit eos sicut Pharaonem in ipsis ;
715 nec preces eorum dixit exaudire se velle
716 et de terra sua projecit illos iratus.

717 Cum filios illos utique jam dixerat ante,
 718 necesse voluerat bono corde vivere natos ;
 719 quando pater gaudet, cum sit bonus filius illi ;
 720 quod si malus fuerit, exsecretur odio natum.
 721 Contrarium nullus patitur sibi filium esse,
 722 excluditur omnis caritas crudele de nato,
 723 nec facit heredem illum ex asse suorum,
 724 quae si prius poterit consumere, gaudet in illum.
 725 Impium et saevum sobolem, rei suae tyrannum,
 726 nec obvium patitur genitor commotus ab illo.
 727 Quid isti praesumunt, cum sint adoptati, dicentes
 728 ex omni populo nos sumus carissimi Summo ?
 729 Parricida patris semper et superbus in illo
 730 carus esse potest ante heres jure vocari ?
 731 Si patres carnales tales detestantur alumnos,
 732 quanto magis Dominus, superant cui filii legendi !
 733 Mansuetis, humilibus, obsequio plenis alumnos
 734 dividunturque bona, non impiis neque tyrannis.
 735 Adoptati fuerant manifeste filii Judaei,
 736 sed in testamento consecuti sunt impii nomen.
 737 Ipsi sibi reputent : scelere commisso cruenti
 738 qui poterant utique participes esse bonorum ?
 739 Quid nobis strident, quid nos aemulantur heredes ?
 740 Fecissentque bonum, et erant in parte legati.
 741 Nec hodie tacent et Christo credere nolunt,
 742 qui fuerat illis salutaris lege praedictus ;
 743 de quo jam audistis qualiter prophetae canebant :
 744 venturum in terras Dominum, quem gentes adorabunt.
 745 Hunc certe nos ipsum admonent cognoscere Summum,
 746 qui renovat hominem, peccata pristina donat.
 747 Nam et comminatur deorum cultoribus ipse :
 748 sacrificans idolis periet in morte secunda.
 749 Quisque deos ergo sequitur fabricatos in auro,
 750 argento vel lapide, ligno vel aeramine fusos,
 751 cum ipsis infelix mittetur in igne refectus,
 752 nec ibi permoritur, sed dat cruciatus iniquus.
 753 Sunt homines pecorum similes in ista natura,
 754 qui nolunt accipere frenum Dei summi vagantes ;
 755 cum ipsi non durant servorum talia ferre,
 756 in quorum saepe descendunt sanguine diri,
 757 dicentes adiciunt : "Nihil est post funera nostra ;
 758 dum vivimus, hoc est", et incumbunt more suillo ;
 759 "Nulla sit luxuria, quae nos pertranseat aevo ;
 760 dum tempus est vitae, perfruamur omnia saeculi."
 761 Indisciplinati clementiam Dei refutant
 762 Streniam sectantes, quasi sola vita sit ipsa.
 763 Sic redeunt a Deo, qui promittit vivere semper :
 764 contra bonum pugnant, cum sit repugnandum iniquo
 765 erravimus omnes manifesto, saeculo suasi,
 766 sed gratia Domini provocamur credere legi.
 767 Propterea venit et fecit tropaea latenter
 768 et fuit homo Deus, ut nos in futuro haberet.
 769 Sed plurimi pereunt, qui putant utrisque placere,
 770 idolis atque Deo, placeat cum nemo duobus.
 771 Unus est in caelo Deus caeli, terrae marisque,
 772 quem Moyses docuit ligno pependisse pro nobis.

773 Unde quidam errant ignavi talia passum,
774 non satis intenti mysterio Dei secreto.
775 Invidia Diaboli mors introivit in orbem,
776 quam Deus occulte destruxit virgine natus.
777 Qua nativitate excordantur caeci Judaei,
778 stultos infatuant scelere commisso cruenti.
779 Nemo potest ullum excusamen dicere postquam,
780 cum modo sit nobis facultas data credendi.
781 Non venit in vano Dominus in terris e caelo,
782 sed venit, ut faceret populum suo nomine dictum.
783 Quem si quis confessus non erit in ista natura,
784 perdit et quod vixit, et in poena sero declamat ;
785 aut certe, dum sperat exspectans credere canus,
786 excluditur diutius ab aeterna vita defunctus.
787 Ergo jam ad illum citius recordari debemus,
788 qui nobis post obitum pollicetur reddere vitam.
789 Insuper hoc addit, immortales esse futuros
790 et frui, quod oculus non viderat ante, videndo.
791 Sex milibus annis provenient ista repletis,
792 quo tempore nos ipsos spero jam in litore portus.
793 Tunc homo resurget solis in agone reductus
794 et gaudet in Deo reminiscens, quid fuit ante ;
795 qui, sicut audivit fragilis in pristina carne,
796 cum sit incorruptus, recognoscit ante promissa.
797 Quam gloriam mirans homini provenisse sic inquit :
798 "Qualiter audivi prius, sic singula cerno".
799 Haec pariter omnes clamant ab inferno levati :
800 "Quemadmodum ante audivimus, ecce videmus ! "
801 Cedet dolor omnis a corpore, cedet et ulcus,
802 nec erit anxietas ulla nisi gaudia semper.
803 Quisque tribus credit et sentit unum adesse,
804 hic erit perpetuus in aeterna saecula renatus.
805 Sed quidam hoc aiunt : "Quando haec ventura putamus ?"
806 Accipite paucis, quibus actis illa sequantur.
807 Multa quidem signa fient tantae termini pesti,
808 sed erit initium septima persecutio nostra.
809 Ecce jam januam pulsat et cingitur ense,
810 qui cito trajiciet Gothis inrumpentibus amne.
811 Rex Apollion erit cum ipsis, nomine dirus,
812 qui persecutionem dissipet sanctorum in armis.
813 Pergit ad Romam cum multa milia gentis
814 decretoque Dei captivat ex parte subactos.
815 Multi senatorum tunc enim captivi deflebunt
816 et Deum caelorum blasphemant a barbaro victi.
817 Hi tamen gentiles pascunt Christianos ubique,
818 quos magis ut fratres requirunt gaudio pleni.
819 Nam luxuriosos et idola vana colentes
820 persecuntur enim et senatum sub jugo mittunt.
821 Haec mala percipiunt, qui sunt persecuti dilectos :
822 mensibus in quinque trucidantur isto sub hoste.
823 Exsurgit interea sub ipso tempore Cyrus,
824 qui terreat hostes et liberet inde senatum.
825 Ex infero redit, qui fuerat regno praeceptus
826 et diu servatus cum pristino corpore notus.
827 Dicimus hunc autem Neronem esse vetustum,
828 qui Petrum et Paulum prius punivit in urbe.

829 Ipse redit iterum sub ipso saeculi fine
830 ex locis apocryphis, qui fuit reservatus in ista.
831 Hunc ipse senatus invisum esse mirantur ;
832 qui cum apparuerit, quasi deum esse putabunt.
833 Sed priusquam ille veniat, prophetabit Helias
834 tempore partito, medio hebdomadis axe.
835 Completo spatio succedit ille nefandus,
836 quem et Judaei simul tunc cum Romanis adorant,
837 quamquam erit alius, quem exspectant ab oriente,
838 in nostra caede tamen saevient cum rege Nerone.
839 Ergo cum Helias in Judaea terra prophetat,
840 et signo signat populum in nomine Christi ;
841 de quibus quam multi quoniam illi credere nolunt,
842 supplicat iratus Altissimum, ne pluat inde :
843 clausum erit caelum ex eo nec rore madescet,
844 et flumina quoque iratus in sanguine vertit.
845 Fit sterilis terra nec sudat fontibus aquae,
846 ut famis invadat ; erit tunc et lues in orbe.
847 Ista quia faciat, cruciati nempe Judaei
848 multa adversus eum conflant in crimina falsa,
849 incenduntque prius senatum consurgere in ira
850 et dicunt Heliam inimicum esse Romanis.
851 Tunc inde confertim motus senatus ab illis
852 exorant Neronem precibus et donis iniquis :
853 "Tolle inimicos populi de rebus humanis,
854 per quos et di nostri conculcantur neque coluntur."
855 At ille suppletus furia precibusque senatus
856 vehiculo publico rapit ab oriente prophetas.
857 Qui satis ut faciat illis vel certe Judaeis,
858 immolat hos primum et sic ad ecclesias exit.
859 Sub quorum martyrio decima pars conruit urbis
860 et pereunt ibi homines septem milia plena.
861 Illos autem Dominus quarto die tollit in auras,
862 quos illi vetuerant sepultura condi jacentes ;
863 suscitanturque solo immortales facti de morte,
864 quos inimici sui suspiciunt ire per auras.
865 Territi nec sic sunt, sed magis intra crudescunt
866 ad populum Christi exsecrantes odio toto,
867 induravit enim Altissimus corda nefanda,
868 sicut Pharaoni prius induraverat aures.
869 Hic ergo rex durus et iniquus, Nero fugatus,
870 pelli jubet populum Christianum ipsa de urbe,
871 participes autem duo sibi Caesares addit,
872 cum quibus hunc populum persequatur diro furore.
873 Mittunt et edicta per iudices omnes ubique,
874 ut genus hoc hominum faciant sine nomine Christi.
875 Praecipiant quoque simulacris tura ponenda
876 et, ne quis lateat, omnes coronati procedant.
877 In ista historia si fidelis ire negavit,
878 feliciter exit : sin vero, de turba fit unus.
879 Nulla dies pacis tunc erit nec oblatio Christo,
880 sed cruor ubique manat, quem describere vincor ;
881 vincunt enim lacrimae, deficit manus, corda tremescunt,
882 quamquam sit martyribus aptum tot funera ferre ;
883 per mare, per terras, per insulas atque latebras
884 scrutanturque diu, exsecratos victimam ducunt.

885 Haec Nero tunc faciet, triennii tempore toto
886 et anno dimidio statuta tempora complet.
887 Pro cuius facinore veniet vindicta letalis,
888 ut urbs et populus ille cum ipso tradatur,
889 tollatur imperium, quod fuit inique repletum,
890 quod per tributa mala diu macerabat omnes.
891 Exsurget iterum in istius clade Neronis
892 rex ad orientem cum quattuor gentibus inde,
893 invitatque sibi quam multas gentes ad urbem,
894 qui ferant auxilium, licet sit fortissimus ipse,
895 implebitque mare navibus cum milia multa,
896 et si quis occurrerit illi, mactabitur ense ;
897 captivatque prius Tyrum et Sidona subactas,
898 nam inde finitimae gentes terrore fatiscunt.
899 Hinc lues, hinc bella, hinc fames, hinc nuntia dura
900 miscenturque simul, quo fiat turbatio mentis.
901 Interea fremitum dat tuba de caelo repente,
902 cuius omni loco sonitus praecordia turbat.
903 Videbitur et tunc ignea quadriga per astra
904 et facula currens, nuntiet ut gentibus ignem.
905 Siccatur fluvijs Euphrates denique totus,
906 ut via paretur regi cum gentibus illis.
907 Persae, Medi, simul Chaldaei, Babylo ni veniunt,
908 immites et agiles, qui nesciant ulli dolere.
909 Hic ergo exoriens cum coeperit inde venire,
910 turbaturque Nero et senatus proxime visum.
911 Et ibant illi tres Caesares resistere contra ;
912 quos ille mactatos volucris donat in escam.
913 Exercitas quorum necesse est victorem adorent,
914 cum quo redeuntes in urbe mente mutata
915 spoliunt templa et, quidquid est intus in urbe,
916 diripiunt mactantque viros ingenti cruore ;
917 novissime nudam adigunt incendio facto,
918 ut neque vestigium ejus appareat ultra.
919 Cujus in exitio tabescunt corda potentium
920 nec se adinveniunt, in quo sint tempore, bruti.
921 Haec quidem gaudebat, sed tota terra gemebat ;
922 vix tamen advenit illi retributio digna.
923 Luget in aeternum, quae se jactabat aeterna,
924 cuius et tyranni jam tunc indicantur a Summo.
925 Stat tempus in finem fumante Roma maturum,
926 et merces adveniet meritis partita locorum.
927 Inde tamen pergunt victor in terra Judaea,
928 quem ipsi Judaei spectarant vincere Romam.
929 Multa signa facit, ut illi credere possint,
930 ad seducendos eos quoniam est missus iniquus ;
931 quem tamen e caelo increpat vox reddita Summi,
932 de Persida homo inmortalem esse se dicit.
933 Nobis Nero factus Antichristus, ille Judaeis ;
934 isti duo semper prophetae sunt in ultima fine.
935 Urbis perditio Nero est, hic terrae totius ;
936 de quo pauca tamen suggero, quae legi secreta.
937 Displicet interea jam sero Judaeis et ipsis,
938 susurrantque simul, quoniam sint fraude decepti.
939 Exclamant pariter ad caelum voce deflentes,
940 ut Deus illis subveniat verus ab alto.

941 Tunc Deus omnipotens, terminet ut cuncta, quae dixi,
942 producet populum celatum tempore multo.
943 Sunt autem Judaei, trans Persida flumine clausi,
944 quos usque in finem voluit Deus ibi morari.
945 Captivitas illos ibidem redegit ut essent ;
946 ex duodena tribu novem semis ibi morantur,
947 mendacium ibi non est, sed neque odium ullum ;
948 idcirco nec moritur filius suus ante parentes ;
949 nec mortuos plangunt nec lugunt more de nostro,
950 exspectant quoniam resurrectionemque futuram.
951 Non animam ullam vescuntur additis escis,
952 sed olera tantum, quod sit sine sanguine fuso.
953 Justitia pleni inlibato corpore vivunt,
954 in illis nec genesis exercet impia vires.
955 Non febres accedunt in illis, non frigora saeva,
956 obtemperant quoniam universa candide legis ;
957 quae nos et ipsi sequemur pure viventes ;
958 mors tantum aderat et labor, nam cetera surda.
959 Hic ergo populus, qui nunc est extra repostus,
960 siccato fluvio repetet in terra Judaea ;
961 cum ipsis et Deus veniet implere promissa,
962 qui per totum iter exsultant Deo praesente.
963 Omnia virescunt ante illos, omnia gaudent,
964 excipere sanctos ipsa creatura laetatur :
965 omni loco fontes exsurgunt esse parati,
966 qua graditur populus Summi cum terrore caelesti,
967 umbraculum illis faciunt nubes, ne vexentur a sole,
968 et ne fatigentur, substernunt se montes et ipsi ;
969 praemittetur enim ante illos angelus Alti,
970 qui ducatum eis pacificum praestet eundo.
971 Hi sine labore leviter gradiuntur euntes
972 et quasi leones, qua transeunt, omnia vastant.
973 Neque gens ulla quidem poterit resistere contra,
974 si bellum intulerit, cum sit Deus ipse cum illis.
975 Expugnant gentes, civitates quoque deponunt,
976 permissione Dei viduant colonias omnes,
977 auro vel argento locupletanturque praedando
978 et sic honestati hymnos pariterque decantant.
979 Mox autem properant sanctae civitati paternae,
980 expavescet enim terribilis ille tyrannus,
981 et fugit ad reges Boreae cum concitu magno,
982 unde rapit populum, ut stet quasi contra repugnans.
983 Cum properant autem exercitu Dei rebelles,
984 sternunturque solo ab angelis proelio facto
985 et prensus adulter, ipsius et pseudopropheta
986 mittuntur in stagnum sub ignea poena viventes.
987 Quorum qui primores, praepositi sive legati,
988 in loco servorum rediguntur sanctis iniqui.
989 Interea sancti intrant in colonia sancta,
990 qui Dei promissa capiant sine fine laetantes.
991 Exorant Deum pro mortuis uti resurgant,
992 quod ipse promisit olim de anastasi prima.
993 Incipiet Deus jam tunc inimicis irasci,
994 status usque dies quoniam advenit iniquis.
995 Cum coeperit autem mundum judicare per ignem,
996 devitatque pios et cadet super impios ignis.

997 Vix remanent pauci, qui referant talia facta,
 998 et qui reservantur, ut serviant justis, evadunt.
 999 Post persecutionem sanctorum et funera tanta
 1000 imminet ut veniat dies detestabilis, ardens.
 1001 Ecce canit caelo rauca, sed ubique resultans,
 1002 quae pavidat totum orbem in ruina cadentem.
 1003 Sol fugit incaute, subito fit noctis imago,
 1004 et Deus exclamat : "Quamdiu me ferre putasti ?"
 1005 Cujus signo dato pestis ruet aethere toto,
 1006 cum strepitu tonitruui descendit impetus ignis.
 1007 Tunc aliud atque aliud fulmen jactatur ab astris,
 1008 ignea tempestas furit reservata tot annis ;
 1009 rugit pestifera clades, tremit excita tellus,
 1010 nec, quo se avertat, providet gens omnis humana.
 1011 Stellae cadunt caeli, judicantur astra nobiscum :
 1012 turbantur caelicolae, agitur dum saeculi ruina.
 1013 Suppetium nullum tunc erit et clamor inanis ;
 1014 non navis accipiet hominem, non ulla latebra ;
 1015 nec illi subveniunt, quos ante pro magno colebant
 1016 quisque sibi satagit, sed nil proficiet illi ;
 1017 his tantum proficiet, qui fuerint Christo notati ;
 1018 ros ad illos erit, nam ceteris poena letalis.
 1019 Pars incredulorum servatur molliter usta,
 1020 ut genus ipsorum iterum se in ultimo plangat.
 1021 Quocumque se vertunt homines, vis ignea fervet ;
 1022 aer ipse mundi, qui placebat ante, crematur.
 1023 Quot strepitus caeli ingruentis fulmine dicam,
 1024 cum ira tot annis collecta funditur omnis ?
 1025 Hinc ignis, hinc tonitrua, hinc turbines, tot mala, fervunt,
 1026 rapieturque polus subita vi mortis in umbram.
 1027 Partim terra tremens laxat fundamina tota,
 1028 partim tonitrua disrumpunt moenia firma ;
 1029 atque disturbantur muri sicut pulvis in auras ;
 1030 saxa volant, ventis nudantur tecta domorum.
 1031 Vastantur patriae, prosternitur civitas omnis
 1032 (.....) osculum vestigio tradat.
 1033 Tot crepitus, tantos fragores tantasque ruinas
 1034 quis poterit ferre aut naufragia tanta vitare ?
 1035 Quid misera mater faciet tunc parvolo dulci ?
 1036 Aut si pater natum piet, quid proficiet illi ?
 1037 Vae refugis Domini, vae et sine Christo nefandis,
 1038 quorum et laetantes judicantur et pie flentes !
 1039 Planget praeterea mugitibus tota natura,
 1040 donec cesset furia tandem completa caelestis.
 1041 Tunc mensibus septem remundabitur terra per ignem
 1042 et qui fuit humilis veniens de caelo videtur.
 1043 Cum illo descendent angeli claritatis aeternae,
 1044 rumpentur et tumuli, exsurgent corpora justa ;
 1045 quae rapiunt nubes et portant obviam Christo
 1046 in aera ; Dominum excipiunt sancti viventes.
 1047 Suscitatur et illos, ut videant gloriam ejus,
 1048 quem cruce fixerunt ; sed denuo reddet in imis.
 1049 Vae miseris illis ! Testis est necatus ab illis.
 1050 Quod poenis ipsorum providi dolo (.....)
 1051 (LACUNE)
 1052 Haec non de invidia canimus, sed fixa videmus.

1053 Cum justi laetantur, illi in inferno cremantur ;
1054 David) illis dixit : "Domine, redde illis iniqua !
1055 Et si non crediderint, in umbra mortis abibunt. -
1056 Hic utique poterat plebi suae laeta precari ;
1057 Cur magis optavit : descendant vivi deorsum ?
1058 Ceteri qui fuerint in adventum Christi de sanctis,
1059 de duobus populis (...) Fugit ad vestigia Summi
1060 (....) haec majus (.....) mutentur ei amem.